



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 9. In vxorem crudelis crudeli morte multatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

in divina Scriptura, expressam esse. 211

Standi parentes; qui si inhumanus esset, magistro potius, quam discipulo tribuendus videretur. Nec enim, nisi iustissimè, Deum permittere, ut peccatum parentis, peccato filij plecteretur.

§. IX.

In uxorem crudelis crudeli morte multatur.

Hoc etiam pacto finit aliquando errare, in sententia ferenda, ipsum Magistratum Deus. Sæpe enim, qui in vno crimine innocens plectitur, est in alio nocens. Et Senatus quidem iudicium præcipitat, est tamen aliud peccatum, quod Deus per senatum castigat. Referam melioribus verbis, M. Michael Iulius rudi Minerua dedit quod M. Michael Iulius rudi Minerua dedit memorijs posterorum. Basileæ Paterfamilias fuit, crudis homo moribus, & mentis indomitæ: qui si tangeretur, echino fuit asperior; Adria iracundior, si læderetur. Is conjugem habuit utique meliore marito dignam. Nam etsi honesta esset ac pudica, quotidianas tamen rixas, & velut perpetuam simultatem pati cogebatur. De qua quis re, etiam de lana caprina, illi Orbilius ille litem mouebat. Nec manebat res intra verba, & probra; à contumelijs & maledictis plerumque ad verbera, & liuorem

M. Michael Iulius de laude ordinis Coniugalibus conc.

rem vultus veniebatur, vt è vestigijs constaret de præterita tempestate. Diu tolerauit mulier huiuscemodi importunitates, sed tandem, vt ictibus satiata, ac pertæsa iniuriarum, domo profugit ad parentes cognatosque suos, de intolerabili sauitia ac tyrannide mariti querelâ depositura, & quaesitura medicinam. Ibi professa, se frugi honestæq; matrisfamilias officium sedulo suaque sponte facere; maritum autem ganeonem, omnis mansuetudinis oblitum in beluam degenerasse, neq; blanditijs, neque vllis officijs delinitum deponere feritatem, rogauit, vt vel auxilium, vel in patria sua exilium sibi darent. Interea autem, illa absente, alia quæpiam mulier in Rhenum cecidit, & submersa est. Quare lapsu & agitatione aquarum Basileam vsq; deferebatur, facie sæpius ad scopulos allisa, itaque confusa ac deformata, vt satis agnosci non posset. Quia tamen habitus illius ac vestimenta per omnia respondebant amictui mulieris illius quæ non ita pridem, clam omnibus ad parentes suos se se proripuerat, non dubuere, qui conijcerent, cadauer esse illius profugæ mulieris. Itaque suspicio per plures ac plures propagata est; qui mussitarunt

primò

primò, tum etiam palàm iactarunt, non alium istius facinoris esse authorem, quàm maritum, cui fermè numquam cum vxore convenisset: assiduas inter hos coniuges fuisse lites, bella quotidiana, perpetuas inimicitias; vel igitur vxorem sponte in Rhenum insilijse, vt se tanto malo liberaret; vel quod de tam importuno atque immiti coniuge longè credibilius esset, maritum incautam vxorem Rheni præripijs adambulantem in aquas præcipitasse. Suspicio in famam, fama sepe in extrema erumpit mala. Quamobrem etiam tum magistratus, partim similitudine habitus in muliere aquis suffocata, partim publicis sermonibus motus, in maritum manus iniici, ad carcerè necquidquam reclamantem rapi iussit. Ibi dum crimè obiectum constanter negat, tormentis admouetur, & in quæstionem postulatur. Multi malunt citò mori, quàm diu cruciari. Itaque & ille, quamuis hac parte innoxius, vi tormentorum adductus, non dubitavit fateri, vitam se coniugi suæ eripuisse, eamque vndis sepelire voluisse. Fatentem reum magistratus morti adiudicat, ducitur. supremo supplicio afficitur. Vix triduum à supplicio elapsum est, eum mater

ter familias, cum cerebroso marito in gratiam reditura, Basileam redijt, sed maritum haud ampliùs inuenit, cuius miserabili interitu comperto, protinus in curiam se effudit, & cum Patribus Reipublicæ illius conscriptis vehementissimè exposulauit, quòd maritum suum criminis istius exortem è finibus humanæ naturæ exturbassent, morteque infami deleuissent. Quare non solum mulierem sui à marito discessus, sed etiam magistratum, iniustæ aduersus innocentem sententiæ latæ serò poenituit: non poenituit autem Deum, qui tam multas grauesque iniurias mulieri illatas, in occasione habuit vindictæ marito reponendæ.

§. X.

Machetes tria ipse passus, quæ in alijs temerè iudicauit.

Quod in his talibus proiectioris licentiæ hominibus facere iustissimum reorum Iudicem tantò minùs mirum est, cum etiam sibi magis addictos feriens talione sinat in ipsum peccatum labi, ut seipsum noscere discant, atque in viam redeant. Apud Cassianum, Abbas Machetes solebat narrare tribus de causis potissimùm se Monachos

Cassian.
lib. 5. de
renunci-
antium
inst. c. 30.

temerè